

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

Quid faciat mihi homo? Rom. 8. vers. 31. Si Deus pro nobis? Deus ergo timendus.

Iuxta monentur securi, non posse ipsos vitam vel fortunam suam conseruare ( quibuscunque conentur mediis id facere ) si Deus ipsos velit perdere. Vide grauem Dei sententiam aduersus securos & superbos, Obad. vers. 4 & Amos 9. vers. 2. & seq. & Hier. 49. vers. 16. *Ja wann sie meynen sie sigen Gott im Schoß darinnen.* De Iechonia dicit, si esset annulus in digito meo, abiciam. Ier. 22. vers. 24. Itaque humilient se sub potenti manu Dei: nec quicquam tentent contra ipsius voluntatem. Non enim valet consilium. Prou. 21. v. 30.

N. Consolatio magna proponitur in his verbis, quod Deus non tantum vult occidere & vulnerare: sed etiam viuificare & sanare. Imo vt viuificare & sanare possit, interdum prius occidit & vulnerat. Et agit more medicorum & chirurgorum, qui ferro interdum aut igni secant vel vrunt, vt sanare possint. Huc videntur spectare ea quae 1. Sam. 2. v. 6. & Hiob. 5. v. 18. & Ose. 6. v. 1. extant.

Nemo itaque vulneratus, mortificatus &c. desperet: sed sciat hanc esse viam ad viuificationem & sanitatem. 2. Cor. 6. Corrupti non occisi. Et 2. Corin. 4. vers. 8. Non desermur.

FINIS.

THEMA. XV.

Deut. 33. v. 29.

*Beatus es tu Israel, qui similis tibi? Popule qui saluaris in Domino: scutum auxilii tui, & gladius gloriae tuae.*

DISPOSITIO.

Cum Moyses, propediem moriturus, singulis tribubus Israelis benedixisset, ( sicut solebant pii Patriarchae facere erga suos liberos, ante mortem, vt Gen. 27. & Gen. 49 ) tandem concludit suas benedictiones, hoc generali ephiphonemate, in quo beatum praedicat Israelcem, cui  
nulla

nulla sub sole natio tum fuerit similis. Sicut etiam Psal. 148 v. 10. habetur. Quia vero non hi tantum sunt Israelitæ, qui ex patribus secundum carnem nati sunt, sed qui credentes sunt & membra veræ Ecclesiæ, Galat. 3. vers. 7. ideoq; hæc particula gratulationis Mosaicæ ad nos pertinet etiam, non minus quam ad illos. Erit itaque nobis accuratius hic locus pensandus.

Tria autem singularia Israelitarum priuilegia hic enumerantur, ob quæ beatum prædicat hunc populum, quæ ordine considerabimus, & ad omnia Ecclesiæ membra accommodabimus.

### I. Pars.

Primum singulare priuilegium Israelitarum est, hoc quod *saluantur in Domino* Deo suo. Et quidem hoc, recte primo loco ponitur, quia omnium maximum, sine quo cætera in ipsos collata beneficia parû profutura fuissent.

Tanto autem magis conspicuum erit hoc Debeneficium, si considerauerimus, quales fuerint Israelitæ: scilicet populus duræ cerueis Nec deteriores erant populi sub Sole. Hos Dominus elegit, vide Deut. 10. vers. 15 ) & ingentibus beneficiis cumulauit, vt illis ostenderet singulare exemplum misericordiæ suæ, quam nullum meritum antevertit.

Et sicut mera gratia immisit illos in possessionem terræ Chanaan, ( non propter iustitiam ipsorum ) ita ex mera gratia ipsos saluauit.

Hoc est quod dominus ipsis proponi voluit per Moysen Deut. 9 v. 6. vbi exprobrat ipsis, quod peccatis suis irritauerint Deum, &c.

Neque vero immediate & absque omni conditione ipsis vitam & salutem obtulit.

1. Etenim vocauit ipsos, per verbum, & iudicia sua manifestauit eis. Psal. 148. v. 9. Et Deut. 29. in fine, vbi eleganter hoc exprimitur.

2. Deinde voluit ipsos viuere iuxta præscriptum legis, Deut. 10. v. 20. & 12. v. 32.

Saluandi itaque sunt qui faciunt voluntatem Domina. Non vero qui secus agunt, vt patet ex Deut. 18. v. 19.

3. Sed quia impossibile erat ipsis implere legem perfectissime, sicut erat mandatum Deut. 27. v. 26, ideoque non salui facti sunt per impletionem legis, (quia sic nemo homo iustificari potest Gal. 2. vers. 16.) ideoque hic eleganter exprimitur, per quem saluati sint: Popule (inquit Moses) qui saluatis *in Domino*, siue (vt est in vers. German. *per Dominum*). Per Christum, Messiam: cuius typi erant illis propofiti. Quicumque ergo in Messiam crediderunt, & fidem testati sunt operibus, quæ ex præscripto legis erant obseruanda, fuerunt saluati per Dominum hunc, de quo Hierem. 23. dicitur quod is sit *iustitia nostra*.

Neque enim incognita erat iustificatio gratuita per Christum, in veteri Testamento. Daniel certe orat, & inuocat Deum patrem omnipotentem, vt misereatur *propter Dominum*, h. e. Jesum Christum filium suum vnigenitum. Dan. 9. v. 17.

Locvs. Idem priuilegium etiam hodie pertinet ad omnes credentes, quo nomine non minus possunt sibi gratulari, quam Moses hoc loco Israelii.

Cum etiam nos habeamus salutem per Dominum. Et gratis quidem.

Gratia saluati, Ephes. 2. v. 8. Rom. 6. v. 3. 2. Donum Dei est vita æterna.

Mediate autem agit etiam nobiscum Dominus. 1. Etenim eligit nos Dominus Ephes. 1. v. 4. & tam cum essemus siue Deo. Ibid. cap. 2. vers. 12. 2. redemitque per Christum, cum essemus inimici eius Rom. 1. vers. 8. & 10. & 3. vocauit ad communionem Euangelii, 1. Cor. 1. v. 19. 1. Thef. 2. 2. v. 12. 4. aggregauit consortio sanctorum Hebr. 12. v. 2. 5. Fidem dat ex auditu Rom. 10. vers. 18 Rom. 1. vers. 16. 1. Cor. 1. v. 21. Et his gradibus utitur in procuranda salute nostra, de quibus Rom. 8. vers. 29. Nos itaque debemus Deo gratitudinem, cum veris Israelitis.

Sicut autem non omnes indifferenter Israelitæ salua-

ri fuere, sed qui crediderunt in Messiam, & fecerunt ex fide officium, ita etiamnum non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, saluus erit, ait Christus Matth. 8. v. 21. sed qui fecerit voluntatem, &c. Voluntas autem hæc est, ut credamus Ioh. 6. vers. 40. Illa fides operibus declaranda est Iacob. 2. v. 18.

Maxima autem credentibus hæc est consolatio, quod de salute certi sunt, sicut hic pii Israelitarum. Idque ex dictis scripturæ Joh. 10. v. 28. Rom. 8. v. 38. & 1. Pet. 1. v. 5. & c. Dubitatio enim non nisi desperationem potest adferre.

### II. Pars.

Alterum Israelitarum privilegium his verbis exprimitur, *Dominus est securum auxilii tui.* Quibus innuit, paratam ipsos habuisse aduersus hostes protectionem, ut nemo ipsos potuerit lædere, De quo sane ingenti beneficio mentio fit Deut. 8. vers. 2. & 15. Deut. 11. v. 2. & 5. & 7. & 25. Deut. 12. v. 10. & c.

L. Neque nobis etiam suam protectionem negauit Dominus. Quod enim hæctenus non sumus absorpti ab hostibus, Dei beneficio factum est, ut vere possimus dicere illud Psal. 124. v. 2. Nisi Deus in nobis, &c. cum sumus pusillus grex respectu cæterorum. Luc. 12. v. 32. At qui in adiutorio altissimi habitat. Psal. 91. v. 1. & 2. Et valet adhuc nobis illud Psal. 34. v. 8. Castrametatur angelus Domini. Itæ illud: *ego tecum.* El. 41. v. 10. & 42. 35. v. 2. & 3. Jer. 46. v. 28. maxime etiam illud soletur, quod portæ inferorum non sunt præualituræ aduersus Ecclesiam. Matth. 16. v. 18. nec vnquam delebitur. Est hæc Ecclesiæ cōsolatio maxima.

Spiritualiter etiam tutatur Dominus electos, à Satanæ telis, ne possit illos superare aut nocere, & Vide 1. Joh. 3. v. 8. Ut destruat opera Diaboli Rom. 16. v. 20.

### III. Pars.

Quod si maxime hostes aggressi fuerunt Israelitas, tamen hoc tertium fuit singulare privilegium, quod ipsi semper fuerunt superiores hostibus. De hoc, *gladius gloriae tuae.* Multas enim præclaras victorias reportauerunt ab

hostibus. Vt patet Exod. 17. v. 13. Num. 21. v. 3. & 34. Num. 31. v. 7. Deut. 3. v. 3. Et toto libro Iosue. Victoria illa à Deo fuit. Is sæpius hostes fudit fugauitque suo tantum gladio diuino, id est, miraculose. Vt cum per grandinem debellauit Amorrhæos Jos. 10. vers. 11. & similibus aliis multis modis.

Loc vs. Spiritualiter semper Dominus id beneficii præstat suis electis, vt victores euadant debellatis hostibus crudelissimis, Satana, inferno, peccato, &c.

Ipse primum debellauit hos Os. 13. v. 14. Deinde nobis arma subministravit, Ephes. 6. vers. 14. Pugnauit pro nobis. Et victoriam nobis largitur. 1. Cor. 15. v. 57. 1. Joh. 2. v. 13. & 4. vers. 4. Consolatio est hæc maxima. Admonitio simul, vt grati simus.

F I N I S.

T H E M A X V I.

Ios. 23. & 1. Reg. 2.

*Ecce ingredior viam vniuersa carnis.*

Dispositionem horum Thematum, vide supra in parte 1. Promptuarii huius, Classe 1. Num. 5. pag. 18.

T H E M A X V I I.

Iudic. 5. v. 31.

*Qui diligunt te (Domine) sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*

D I S P O S I T I O.

Epiphonema hoc est adiectum in fine istius carminis, quod decantatum fuit à Debora Prophetissa, post deictum Sifferam, Ducem exercitus Regis Chanaanæ Jabin, qui afflixerat Israelitas annis viginti.

Periit autem Siffera, (qui contra Israelitas non gentos currus falcatos eduxerat) per manum Israelis vxoris Heber, quæ ipsius tempora clauo transfidens, caput terræ